

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta** : 4194

**Auteur(s)** : Louis IX, France (roi)

**Bénéficiaire(s)** : Évreux (chapitre cathédral)

**Genre d'acte** : vidimus

**Authenticité** : non suspect

**Datation** : 1260, novembre

**Lieu d'émission** : Vincennes

**Action juridique** : confirmation

**Langue du texte** : latin

## Analyse

Louis [IX], vidime et confirme la charte de Raoul, évêque d'Évreux.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Hardel (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 1211, p. 335.

Texte établi d'après a

Ludovicus, Dei gratia, Francorum rex. Noverint universi, presentes pariter et futuri, quod nos litteras dilecti et fidelis [nostri] episcopi Ebroicensis vidimus in hec verba :

Universis presentes litteras inspecturis, Radulfus, permissione divina, Ebroicensis episcopus, salutem in Domino. Cum, vacante beneficio quod solet thesauraria de Valle Rodolii nuncupari, excellentissimus dominus noster Ludovicus, Dei gratia, Francorum rex, ad quem collatio ejusdem pertinebat, voluerit et in hoc consenserit quod nos de dicta thesauraria ac de proventibus ad ipsam spectantibus ordinemus et disponamus, prout viderimus expedire, nos verisimiliter presumentes quod idem dominus rex monasterii Regalis montis, Cisterciensis ordinis, quod de bonis regalibus fundavit, desideret incrementum, volentes etiam sic nos exhibere aliis liberales, ne juri Ebroicensis ecclesie, cui specialiter astringimur, derogemus, habito bonorum et prudentium consilio, taliter duximus ordinandum quod decime novalium in diocesi Ebroicensi redactorum a XL annis et citra et redigendorum in posterum ad culturam, que non sunt vel erunt infra metas certarum parrochiarum, quorum dispositio ac ordinatio ad nos de jure dinoscitur pertinere, penes nos remaneant, ut de eis, prout expedire viderimus, disponamus, necnon et jus patronatus ecclesiarum parrochialium dicte ville. Cetera vero omnia ad predictum beneficium seu thesaurariam pertinentia, exceptis omnibus decimis majoribus et minoribus in dictis parrochiis constitutis, quas de voluntate expressa domini regis eisdem parrochiis possidendas et habendas in perpetuum assignavimus, unicuique scilicet prout fines earum se extendunt, monasterio Regalis montis, juxta beneplacitum domini regis, Dei intuitu, ac ob ejusdem domini regis favorem et gratiam, concedimus possidenda in perpetuum libere et habenda, salvo jure in omnibus alieno. Decernimus nichilominus ut dicte ecclesie parrochiales de Valle Rodolii necnon et rectores earumdem a prestatione pensionum quas percipiebat seu percipere solebat ab eis thesaurarius dicti loci, libere sint de cetero penitus et immunes, nec pretextu dictarum pensionum de cetero alicui in aliquo teneantur. In cujus rei testimonium, sigillum nostrum presentibus duximus apponendum. Actum die veneris ante festum beati Andree apostoli, anno Domini M° CC° LX°.

Nos autem ordinationem suprascriptam, de mandato nostro factam, volumus, concedimus, approbamus et auctoritate regia confirmamus, salvo jure in omnibus alieno. Quod ut ratum et stabile permaneat in futurum, presentes litteras sigilli nostri fecimus impressione muniri. Actum apud Vicennas, anno Domini M° CC° LX°, mense novembri.